

sunt membra, quæ unio per charitatem perficitur, et per fidem inchoatur; tum quia existens in peccato mortali videtur ponere obicem fructui talis meriti, sicut quando unus justus pro alio satisfacit, si ille alius sit in peccato mortali, non prodest illi satisfactio alterius. Nihilominus dicendum est talem conditionem prodesse quidem posse, ut Deus facilius, ac libentius, ac proinde frequentius propter unius justii meritum alteri beneficiat; non tamen esse illam conditionem simpliciter necessariam. Prior pars suadetur sufficienter priori ratione proposita, et est per se notum, quia personæ sanctitas vel bona dispositio sine dubio auget congruentiam et proportionem inter meritum et ipsam. Altera vero pars sufficienter probatur exemplo Stephani et Pauli, nam Paulus nec justus nec fidelis erat, quando Stephanus vocationem illi de congruo meruit. Et ratio est, quia hoc meritum non fundatur in aliqua dignitate vel dispositione ejus pro quo offertur, sed offerentis, et potius ad hoc ordinatur, ut alter per auxilium gratiæ ad meliorem statum convertatur, cujus auxilii non est incapax, etiamsi peccator vel infidelis sit. Et ideo ad tale meritum non est semper necessarium ut actualis unio per charitatem vel fidem inter tales personas supponatur, sed satis est ut is cui alter meretur, sit capax talis unionis, et quod meritum ad illam impetrandam ordinetur. Sic enim etiam potest unus alteri impetrare fidem vel charitatem. Neque est simile de communicatione satisfactionis, quia illa fit per modum solutionis justæ, ita ut propter satisfactionem unius de justitia remittatur pœna alteri debita; ille autem, qui est in peccato mortali, est incapax talis remissionis et justitiæ, ut dixi in tom. 4, disp. 48, section. 7, et disp. 37, sect. 2, a num. 40.

10. *Ad primum argumentum in num. 1. — Ad secundum.* — Ad argumentum primum in principio quæstionis positum, respondemus imprimis meritum de congruo pro alio nulla ex parte minuere præmium de condigno debitum justo propter eadem opera, quia hoc meritum non inducit debitum justitiæ respectu alterius, et ideo simul esse potest cum integro merito justitiæ ipsius operantis. Sic enim Sancti beati, quamvis jam receperint integrum præmium, quod de condigno meruerunt quoad animam, nihilominus suis meritis nos de congruo juvant, aliquid intuitu illorum pro nobis pestulando. Et inter homines videmus quod, licet miles laboris sui condignum

stipendium a principe recipiat, nihilominus si strenue militet, censetur mercedem aliquam saltem de congruo filiis mereri. Igitur quamvis justus apud Deum sibi de condigno mereatur, hoc non obstat quominus simul possit aliis de congruo mereri, sicut etiam potest impetrare. Neque hinc sequitur (ut in eodem argumento insinuat) unum laudari ex merito alterius, sed sequitur unum honorari vel ditari ex merito et labore alterius, quod non solum inconueniens non est, verum potius est maxime rationi et amicitia consentaneum. Neque tunc præmium est testimonium virtutis ejus cui datur, ut per se notum est, et per hæc ad secundum etiam argumentum sufficienter responsum est.

CAPUT XXXVI.

UTRUM AD MERITUM DE CONGRUO EX PARTE DEI REQUIRATUR PROMISSIO?

1. *Opinio prima Soti. — Ejus fundamentum.* — Diximus de persona merente et cui meretur, superest ut dicamus de conditione requisita ex parte Dei, quæ solum esse potest ordinatio vel promissio, juxta supra dicta de merito de condigno. Circa hanc ergo conditionem duo possunt esse modi dicendi extreme contrarii. Primus est, repugnare promissionem sub conditione talis operis merito de congruo. Ita sentit Soto, lib. 2 de Natur. et grat., cap. 4, quatenus ait meritum non esse de condigno, nisi quia Deus certissimam legem statuit tribuendi præmium servanti mandato; hæc enim lex nihil aliud est quam promissio; ergo, eo ipso quod meritum in promissione fundatur, est de condigno; ergo promissio repugnat cum merito de congruo. Et ita illo argumento contendit Soto excludere meritum de congruo, nam supponit aliud principium, quod apud Deum non potest esse verum meritum, nisi in promissione fundatum. Hanc etiam opinionem indicat Bellarminus lib. 1 de Justific., cap., 21 § *Quare*, etc., ubi ait: *Si meritum de congruo fundatur in promissione cum conditione operis, esset meritum ex justitia, et de condigno potius, licet imperfecte, quam de congruo nominandum.* Et ideo consequenter negat factam esse a Deo promissionem dandi primam gratiam peccatori, si coneratur, ne meritum de condigno primæ gratiæ inde inferatur.

2. *Opinio secunda. — Lorca, disp. 43 de gratia. — Ejus fundamentum.* — Alter modus

extreme contrarius, est, promissionem esse omnino necessariam ad meritum de congruo apud Deum. Quæ opinio etiam sequitur ex fundamento Soti, saltem ex hypothesi quod meritum de congruo admittendum sit, quia non potest esse apud Deum verum meritum sine promissione. Et hanc sententiam sequi videntur nonnulli moderni, qui distinctionem faciunt inter meritum erga hominem et erga Deum, quia apud hominem non putant esse semper necessariam promissionem, vel pactum ad omne meritum, quia saltem ad meritum ex gratitudine non requiritur pactum vel promissio; in Deo autem dicunt præsupponi oportere pactum vel promissionem, ut possit homo apud ipsum mereri; ergo sentiunt ad omne meritum apud Deum, sive sit ex justitia, sive ex gratitudine, ut ipsi loquuntur, necessariam esse promissionem, alias nulla esset diversitas; meritum autem de congruo sub aliquo illorum membrorum continetur; ergo necesse est ut etiam ad meritum de congruo promissionem requirant. Potestque hæc sententia fundari, quia per omne meritum, etiam de congruo, fit præmium aliquo modo debitum operi; ergo si meritum est apud Deum, necesse est ut Deus ex aliqua virtute obligetur, vel saltem inclinetur ad retribuendum præmium tali operi; sed nulla esse potest talis virtus, nisi præcedat promissio; ergo nec meritum esse potest. Probatur minor, quia illa retributio non erit ex justitia, quia non est meritum de condigno, neque ex fidelitate, quia non est facta promissio, neque ex misericordia, quia hæc non respicit opus, sed indigentiam, nec ex liberalitate, quia hæc etiam non fundatur in opere recipientis, sed ex sola voluntate dantis; ergo sub nulla ratione virtutis potest tale meritum inducere debitum apud Deum, si ejus ordinatio et promissio non præcedat.

3. *De ordinatione divina ad meritum de congruo notatio.* — Nihilominus media via nobis tenenda videtur. Quia vero supra ordinationem talis meriti ad tale præmium ex voluntate divina, a rigorosa promissione divina in merito de condigno distinximus, et illa duo possunt ad meritum de congruo applicari, idcirco prius circa ordinationem advertere oportet illam dupliciter spectari posse, ut ibi etiam dixi, scilicet, vel antecedenter, ut actus meritorius possit referri ad tale præmium, potius quam ad aliud, vel consequenter, ut actus de facto ad tale præmium acceptetur. Unde hæc posterior potius dicenda est acce-

ptatio. Prior ordinatio in hoc merito de congruo necessaria non est; imo nec in eo locum habet. Quia hoc meritum solum consideratur in actu secundum congruitatem, quam ex intrinseca bonitate et aliis suis circumstantiis ad tale vel tale præmium habet, cui congruitati nihil addere potest extrinseca ordinatio. Et quamvis contingat tale meritum esse indifferens ad hoc vel illud præmium, vel ad hanc aut illam personam cui præmium sit conferendum, hæc indifferentia determinari sufficienter potest per ordinationem, seu intentionem ipsius operantis, ut in præcedenti capite tactum est. Quod si hæc etiam determinatio ex parte operantis defuerit, determinari poterit (ut ibidem insinuavi) per voluntatem Dei acceptantis hoc meritum, ad conferendum hoc vel illud beneficium, potius quam aliud, et huic vel illi personæ potius quam alteri. Hæc autem determinatio tunc non est per modum antecedentis ordinationis, sed per modum subsequenti acceptationis, ut ex re ipsa bene considerata manifestum est. Quocirca hæc acceptatio in hoc merito peculiari ratione semper est necessaria, ut meritum sit efficax et actuale, ut sic dicam. Quia retributio hujus meriti non est ex justitia, neque est ita debita ut sit contra rationem vel contra aliquod Dei attributum non acceptare tale meritum, nec propter illud retributionem dare, et ideo talis retributio semper est gratuita simpliciter, etiam supposito tali merito. Et ideo, licet actus dici possit de se meritorius ante acceptationem, nihilominus in esse actualis meriti (ut sic dicam) et in efficacia sua per acceptationem consummatur. Sicut oratio, licet de se impetratoria sit, actualem impetrationem habet ex acceptance divina.

4. *De promissione autem divina ad idem meritum sit prima assertio.* — Circa promissionem, dicendum est primo non semper repugnare quod ante tale meritum præcedat promissio sub conditione talis operis. Probatur primo, exemplo ultimæ dispositionis ad primam gratiam, nam meretur illam de congruo, ut capite sequenti ostendam, et nihilominus facta est promissio gratiæ et remissionis peccati peccatori, si convertatur sicut oportet, ut in superioribus, et in materia de Pœnitentia satis ostensum est. Simile exemplum est, verbi gratia, de elemosyna vel oratione, nam illis promissa est aliquo modo remissio peccatorum, saltem mediante auxilio, quo possit homo ad illam pervenire, si

velit, ut ex innumeris Scripturæ locis colligitur, et nihilominus meritum quod in illis actibus est, ad summum de congruo esse potest. Ratio vero est supra tacta, quia ad meritum de condigno non sufficit sola promissio, etiam sub conditione operis, sed oportet ut supponat operis condignitatem secundum æqualitatem proportionis; ergo si fiat promissio sub conditione operis, cui talis proportio deficiat, licet aliquam congruitatem habeat, non statim resultabit meritum de condigno; ergo cum tali promissione esse poterit meritum de congruo.

5. *Confirmatio.*—*Ad fundamentum positum in num. 4.*—Et confirmatur, quia ex tali promissione non resultat proprium justitiæ debitum, quale ex merito de condigno resultat, ut supra vidimus, sed tantum fidelitatis cum quadam majori obligatione in illo ordine; ergo illa subsistere optime potest cum merito de congruo, quia non est per modum pacti æqualis, sicut esse debet ad meritum de condigno. Sicut etiam in oratione præcedit promissio dandi sub ea conditione: Si petatur sicut oportet, et nihilominus in illa impetratione non intercedit justitia, sed fidelitas. Hæc enim virtus inducere potest obligationem ex vi promissionis, non solum ad donationem alias omnino liberalem, ut contingit quando promissio fit absolute et sine ulla conditione, sed etiam ad redditionem aliquo modo onerosam, quando vel onus est leve, vel beneficium promissum conditionem et statum personæ, cui fit promissio, nimium excedit. Et ita satisfactum est fundamento prioris sententiæ. Negamus enim illud principium, quod omne meritum fundatum in promissione sub conditione operis sit de condigno, id enim non est verum, nisi quando opus est proportionatum. Ex quo solum inferri potest, quando ex parte operis et operantis supponuntur omnia necessaria ad meritum de condigno, tunc repugnare ut adjuncta promissio sub conditione talis operis meritum sit de congruo, quod verissimum est, quia tunc nihil deest ad meritum de condigno. At vero si dignitas operis aut operantis aliunde deficiat, non est cur meritum de congruo cum promissione consistere non possit.

6. *Assertio secunda qua directe satisfit titulo.*—Secundo, dicendum est promissionem non esse necessariam ad meritum de congruo. Probat, quia ad meritum de congruo non sunt necessariae omnes conditiones me-

riti de condigno, ut sæpe dictum est; ergo neque ista conditio particularis promissionis est semper necessaria. Probat consequentia, primo, quia non potest major ratio necessitatis in hac quam in aliis conditionibus assignari. Sicut ergo stante promissione potest esse meritum de congruo, quia aliqua alia conditio ad condignitatem necessaria deficit, ita e contrario propter alias conditiones actus potest esse meritorius de congruo, etiamsi promissio desit. Unde argumentor secundo, quia ut actus sit meritorius de congruo, satis est quod in se habeat bonitatem aliquam proportionatam, ut ratione talis operis, seu ejus intuitu, merito possit Deus beneficium aliquod homini reddere; sed actus potest esse hujusmodi, etiamsi non habeat promissionem talis præmii, quia illa conditio seu qualitas actus est illi intrinseca, et respicit, ut sic dicam, solam aptitudinem tali præmio proportionatam; promissio autem est extrinseca, et respicit potius actualem redditionem præmii, quæ sine promissione etiam fieri potest, si Deus velit, per gratuitam acceptationem; ergo non est unde promissio sit absolute necessaria ad hoc meritum. Et confirmatur primo, quia promissio tantum est necessaria, vel ut in merito locum habeat propria justitia, vel ut mercedis retributio infallibilis sit; sed neutrum horum est necessarium in merito de congruo, nam obligatio justitiæ neque in eo desideratur, neque in rigore esse potest; infallibilitas autem retributionis, licet ad fiduciam merentis conducat, ad congruitatem meriti necessaria non est. Unde, licet possit non sequi retributio ex liberalitate Dei, nihilominus si ex eadem voluntate fiat, retributio erit in operis congruitate fundata; ergo tali operi inest hoc meritum, sive retributio sequatur, sive non sequatur, et sive infallibiliter futura sit, sive non sit. Tandem confirmari potest inductione, quia in bonis operibus ordinis naturalis est aliqua ratio meriti, cum tamen, præcise sistendo in pura natura, nulla promissio Dei intercedat. Deinde in supernaturali ordine opera justorum essent de se meritoria apud Deum alicujus præmii supernaturalis, quamvis Deus illud non promisisset, quia de se haberent aliquem ordinem et habitudinem ad illud, et tamen tunc non essent meritoria de condigno, juxta superius dicta; ergo illud meritum esset de congruo sine promissione. Item nunc de facto non constat esse promissionem factam omnibus dispositionibus re-

motis ad justitiam, quas peccator per auxilia gratiæ efficere potest, et nihilominus probabilius est illas esse meritorias de congruo alicujus præmii, ut videbimus. Et certe Augustinus quando fidei et similibus actibus tribuit aliquod meritum, non fundat illud in speciali promissione, sed in bonitate et obedientia talis actus ex gratiæ auxilio. Denique a simili declaratur ex oratione, quæ impetratoria esse posset, etiamsi promissionem non supponeret, et interdum (ut credibile est) de facto impetrat, etiamsi conditio promissionis non integre impleatur; ergo idem est de merito congruo censendum est.

7. *Corollarium: unde nascuntur divisiones meriti congrui.*—Atque hinc obiter colligimus meritum de congruo non semper esse ejusdem rationis, sicut est meritum de condigno. Et ratio est clara, quia meritum condignum est perfectum; meritum autem de congruo est quasi per defectum ab illo. Convenit enim cum illo, quia est actus sufficiens, ut ejus intuitu detur aliqua retributio; differt vero, quia in ea non concurrunt omnes conditiones perfecti meriti. Unde quia hic defectus potest multis modis contingere, juxta illarum conditionum diversitatem, ideo meritum de congruo multiplex esse potest, ejusque nonnullæ divisiones breviter adnotari possunt. Primo enim meritum de congruo quoddam est habens adjunctam promissionem, aliud vero esse potest illa carens, ut proxime visum est. Et hinc secundo meritum de congruo quoddam est habens infallibilem retributionem, quia saltem sine infidelitate negari non posset; aliud vero est cujus retributio suspendi aut negari potest, quia non ex aliqua præcisa obligatione, sed solum ex quadam decentia seu congruitate datur, quando retribuitur. Tertio, dividi potest hoc meritum in illud quod habet congruitatem ex sola conditione actus, et non ex conditione personæ, et illud quod e converso habet congruitatem ex dignitate personæ, et non sufficienter ex conditione actus. Dico autem, non sufficienter, quia nullum potest esse hoc meritum, quod in aliqua bonitate seu dignitate actus non fundetur; potest autem esse insufficienter, et ex dignitate personæ operantis suppleri, ut in superioribus satis explicatum est. Et ad hunc modum possunt hæc divisiones per varias combinationes vel defectus dictarum conditionum ad meritum requisitarum multiplicari, ut facile consideranti patebit. Ex quo consequenter colligitur in hoc

merito de congruo posse magis et minus reperiri, nam quo plures conditiones vel meliores ex requisitis ad meritum de condigno actus habuerit, eo habebit majorem congruitatem ad meritum, vel habebit congruitatem ad majus præmium.

8. *Ad quod attributum spectet retributio meriti de congruo, sive intercedat promissio, sive non.*—Superest ut fundamento secundæ sententiæ respondeamus; in eo enim petitur ad quam virtutem seu attributum Dei pertineat retributio meriti de congruo. Quod ibi specialiter postulatur, quando meritum hoc non habet promissionem adjunctam, re tamen vera eadem quæstio locum habet, quamvis promissio intercedat, quia etiam tunc meritum de congruo non fundatur in promissione, sed quasi concomitanter se habet; nam, licet promissio non fieret, meritum de congruo posset subsistere; ergo, posita promissione, meritum illud non transcendit rationem meriti de congruo, quando in opere non supponitur proportio et æqualitas ad justitiam sufficiens, ut dictum etiam est; ergo, licet, addita promissione, manifestum sit id quod est promissum retribuendum esse ex virtute fidelitatis, nihilominus explicare oportet, præcisa promissione, ad quam virtutem spectet tale meritum remunerare. Et ratio dubitandi in fundamento secundæ sententiæ proposita est, quia evidentius cernitur in hoc merito, quando in re ipsa a promissione separatur.

9. *Opinio prima. — Rejicitur.*—Dicunt ergo aliqui præmium talis meriti ex gratitudine esse reddendum, quia retribui debet sub aliqua ratione debiti, et non redditur debitum ex justitia vel fidelitate, ut visum est; ergo solum esse potest ex debito gratitudinis, quia non superest alia ratio debiti, quæ huic retributioni accommodari possit, quia non potest deberi per modum observantiæ, aut cultus, aut aliquid hujusmodi, quia hujusmodi debitum est proprium inferioris ad superiorem, et ideo non habet locum in Deo respectu hominis. Hic tamen dicendi modus mihi non probatur, ut in superioribus, et in Relect. 1 de Libertate divina, sect. 2, n. 3 et sequent., et aliis locis dixi, quia existimo non minus repugnare Deo debitum gratitudinis, quam observantiæ, vel cultus, ac proinde gratitudinem non inveniri in Deo proprie ac formaliter, magis quam observantiam vel religionem. Quia gratitudo respicit benefactorem, et debitum ejus in beneficio ac-

cepto fundatur, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2, quæst. 106. Deus autem non est capax beneficii; quis enim potest esse Dei benefactor, cum ab ipso sit omne bonum, et ipse nullius boni egeat, nec aliquid commodi vel utilitatis possit ab aliquo accipere? Dices: licet Deus non sit capax accessionis alicujus boni intrinseci, est tamen capax novi boni extrinseci, ut est honor, laus, adoratio et similia; ergo exhibitio istorum bonorum potest suo modo dici beneficium, cui gratitudo debeatur. Respondetur hæc ipsa non exhiberi Deo tanquam beneficia, sed tanquam servitia et obsequia, ejus excellentiæ, majestati et dominationi debita. Unde, licet obsequium non debitum interdum æquiparetur beneficio, ut docet D. Thomas, dicta quæst. 106, art. 4, ad 3, nihilominus hoc in Deo locum non habet, quia nullum obsequium potest ipsi exhiberi, quod non aliis titulis vel justitiæ, vel religionis, vel obedientiæ, vel etiam gratitudinis ad ipsum debeatur. Unde potest alia ratio formari, quia non potest quis alium ex gratitudine obligare per illud ipsum, quod ipse eidem personæ ex gratitudine debet; sed quicquid homo potest in obsequium Dei facere, potest etiam in signum grati animi exhibere, et ex gratitudine etiam id debet; ergo non potest inde gratitudinis debitum in Deo resultare.

10. *Opinio secunda.* — *Exvertitur.* — Dicunt ergo alii hanc retributionem solum esse ex virtute misericordiæ aut liberalitatis. Quia cum hoc meritum non inducat proprium debitum, dictis virtutibus et rationibus earum non repugnat. Unde, licet in remissione peccati meritum de congruo intercedat, ut capite sequenti dicemus, nihilominus, absolute loquendo, ex misericordia Dei fit, ut Scriptura loquitur. Et cum Deus homini petenti bonum postulatum concedit, liberalitate utitur, etiamsi talis oratio ab homine viatore et præsertim justo sine aliquo merito de congruo non fiat. Sed neque hic modus dicendi mihi satisfacit, quia, licet meritum de congruo non inducat debitum propriæ justitiæ, nihilominus inducit tale debitum, quod puram gratiam seu gratuitam donationem excludat. Nam ob hanc causam negat Catholica doctrina posse hominem suis viribus mereri de congruo primum gratiæ auxilium, quia tunc non daretur gratis simpliciter, ac subinde non esset gratia; ergo quod redditur propter meritum de congruo, non redditur mere liberaliter, ac proinde alia ratio

virtutis a liberalitate distinctæ in illa redditione consideranda est. Idemque est in misericordia evidentius, quia solum respicit indigentiam alterius, ejusque miseriæ sublevationem. Unde, licet eadem actio remunerativa meriti de congruo possit simul fieri ex misericordia, nihilominus, quatenus remuneratio est, ad misericordiam non pertinet. Sicut quod oranti conceditur propter vim promissionis, sub ea ratione non datur ex misericordia, sed ex fidelitate, quamvis simul possit ex misericordia tribui; ita ergo in præsentem intelligendum est.

11. *Vera responsio.* — Quapropter dicendum censeo hoc pertinere ad quamdam Dei justitiam, quam D. Anselmus in Prolog., cap. 11, et sequentibus, et D. Thomas 1 p., quæst. 21, decentiam divinæ providentiæ appellant, et nos alibi tractantes de divina justitia in peculiari disputat., sect. 4, justitiam generalem, aut quasi legalem, seu justitiam providentiæ aut providentialem vocavimus, eamque variis modis et exemplis explicuimus. Ibi tamen hoc exemplum de retributione meriti de congruo omisimus; re tamen vera hic actus remunerandi meritum de congruo, seu benefaciendi intuitu illius, et cum proportionem ad illud, est hujus justitiæ maxime proprius. Quia non attingit propriam rationem et obligationem particularis justitiæ divinæ, quam in retribuendis meritis de condigno observat, ut supra vidimus, et alioqui servat modum justitiæ, quatenus respicit aliquale debitum in operibus fundatum, et æquitatem quamdam respectu illius observationis. Neque in hoc puncto nova difficultas occurrit.

CAPUT XXXVII.

QUID POSSIT HOMO NON JUSTIFICATUS SIBI DE CONGRUO MERERI?

1. *Titulus elucidatur.* — *Assertio prima.* — Explicato merito de congruo, et omnibus conditionibus ejus, dicendum superest de rebus seu præmiis quæ sub hoc meritum cadere possunt. Diximus autem hoc meritum esse in peccatore et in homine justo, et inter eos discrimen constituimus, quod peccator sibi tantum, justus vero et sibi et aliis potest aliquid de congruo mereri, et ideo dicemus prius de peccatore, respectu sui tantum; et postea de justo, respectu sui et aliorum. Agimus autem hic de merito supernaturalis

ordinis, per quod aliquid pertinens ad dona gratiæ meremur, et ideo solum de præmiis aliquo modo supernaturalibus tractamus, quanquam obiter de naturalibus aliquid in fine attingemus. Hinc ergo dicimus primo, vel potius ut jam probatum supponimus, non posse peccatorem mereri primam auxiliantem gratiam de congruo. Hoc probatum est in libro tertio contra Semipelagianos, ubi testimonia, quibus hoc fit de fide certum, retulimus. Ratio vero est, quia opus mere naturale neque est dispositio proportionata ad supernaturale auxilium, neque ex se habet relationem ad dona supernaturalis ordinis, in qua possit talis congruitas fundari. Unde cum neque ex conditione personæ operantis possit aliqua congruitas oriri, cum supponatur in peccato et ante omnem gratiam, manifestum est in tali actu non posse esse meritum de congruo primi auxilii gratiæ.

2. *Assertio secunda.* — Dico secundo peccatorem divina gratia adjutum posse de congruo mereri suis actibus primam gratiam sanctificantem, ipsamque remissionem peccati mortalis. Hæc est communis sententia Theologorum cum Magistro in 2, d. 27, ubi D. Thomas, quæst. unic., art. 4, ad 4; et Albert., in 1, distinct. 41, art. 2, ad 2 et ult., satis obscure. Clarius ibi Bonaventura, art. 1, quæst. 1, et in 4, d. 15, 1 part., art. 1, quæst. 5, ubi etiam D. Thomas idem plane docet quæst. 1, art. 3, quæst. 4. Neque in 2. 2, quæst. 114, art. 5, oppositum docuit, nam, ut supra dixi, probabilissimum est loqui de prima gratia auxiliante, præsertim in corpore articuli. Præterquam quod de merito generatim loquitur. Unde, licet dicamus loqui de prima gratia in communi, ut abstrahit a sanctificante et auxiliante (nam revera utramque attingit), negatio meriti cum partitione accommodata erit accipienda, scilicet, ut de prima gratia auxiliante neget meritum, etiam de congruo, de sanctificante vero tantum de condigno. Nam, licet ipse expresse hoc non determinet, juxta materiæ capacitatem determinandum est. Vel certe si utriusque gratiæ primæ omne meritum excludit, de merito non fundato in priori gratia intelligendus est, nam de hoc loquitur in corpore articuli. In aliis vero locis allegatis, loquitur de merito de congruo fundato in priori auxilio gratiæ. Et ita partem hanc tanquam D. Thomæ doctrinam defendit Ferrar., 3 contra gent., c. 149, dub. ult. Eandem tenet Marsil. in 2, quæst. 18, art. 3, concl. 4, et Scotus in 4,

d. 14, quæst. 2, et ibi Gabriel, quæst. 1, art. 2, circa finem, et in 2, d. 27, quæst. unic., art. 2, concl. 4, et in art. 3, dub. 4. Scotus autem et Gabriel excedunt, ponentes hoc meritum in dispositione facta solis viribus liberi arbitrii. Qui error sæpe in superioribus reprobat, in præsentem vero materialiter se habet, nam formaliter in hoc conveniunt, quod dispositio, qualiscumque sit, et quibusvis viribus fiat, justificationem de congruo meretur. Et ex modernis tenet hanc sententiam Roffensis, artic. 1 contra Lutherum, § *Primum illa*, versus finem; et Tiletanus, apolog. pro Concilio Tridentino, circa caput 8 sessionis 6; latius id defendit Vega, lib. 8 in Tridentin., c. 8, et sequentibus, et q. 7 de Justificat.; et Bellarminus, l. 1 de Justific., cap. 21, et l. 2 de Pœnit., c. 21; Vazquez 1. 2, disput. 218, per totam, licet peculiari modo infra tractando. Melius, licet brevius, tenet idem Molina in Concord., disp. 26, ad 4.

3. *Ratione probatur assertio.* — Probationes hujus sententiæ afferemus, declarando illam; nunc breviter probatur ratione, quia nihil est quod huic merito de congruo obstet respectu talis beneficii, quia si quid obstaret, maxime status peccati in persona operante; sed hoc non obstat; ergo nihil est quod obstet. Minor probata est supra, c. 34, in generali, et in hoc speciali merito justificationis non intervenit aliqua singularis ratio, propter quam excipiendum sit. Quod patet, probando majorem et consequentiam argumenti, quia hoc meritum fundatur in priori gratia auxiliante, ut supponimus, et ex hac parte recedit omnino a Semipelagiano errore, juxta doctrinam Augustini sæpe repetitam, et in superioribus tractatam, et supponit præcipuam conditionem requisitam ex parte actus meritorii, ratione cujus habet sufficientem proportionem cum ulteriori gratia usque ad remissionem peccati. Et ex parte liberi arbitrii homo etiam facit quod in se est per vires auxiliantis gratiæ; ergo inde consurgit illa congruitas fundata in æqualitate proportionis, quam in nostris meritis consideravit divus Thomas, dicta quæst. 114, art. 3, dicens: *Videtur congruum ut homini operanti secundum suam virtutem Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis.* Quæ congruitas non parum augetur, addita promissione, quæ in justificatione etiam intervenit, ut in superioribus visum est.

4. *Objecta quatuor.* — *Primo, ex Rom. 3 et 4; secundo, ex Concilio Tridentino; tertio, ex D. Thoma; quarto, ex ratione.* — Contra hanc